



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. Quomodo contrahuntur Sponsalia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

conditio censetur impossibilis. Quòd si dispensare soleat; sed absit justa causa dispensationis, debent dissolvi; cum tunc illicitum sit dispensationem petere & dare. Si verò Papa soleat in tali casu dispensare, & adsit justa causa, juxta multos valent Sponsalia, & positâ dispensatione fiunt absoluta: quia sunt sub conditione possibili, honesta, & relata ad tempus quo personæ erunt habiles.

*Not.* Sponsalia Filiorum - familias inconsultis parentibus contracta, sunt illicita, utpote contra præceptum honorandi parentes. Imò servari non debent, si inde grave scandalum timeatur. Idem dicunt aliqui, si parentes justa de causa contradicant, cum Matrimonia in vitis rationabiliter parentibus sint illicita; secus, si postea consentiant.

**Q. 3. Quomodo contrahuntur Sponsalia?**

*Resp.* Multipliciter. 1. Expressè, dicendo, *accipiam te in conjugem, promitto tibi Matrimonium*: vel tacitè, ut si parentes promittant pro liberis præsentibus, nec contradicentibus post pubertatem, c. unico. *de desponsat. impub. in 6.* nam hæc liberorum taciturnitas censetur tacitus consensus. 2. Inter præsentibus, vel inter absentes per Procuratorem aut litteras, &c. 3. Absolutè vel conditionatè. Sed conditionatè contracta non pariunt obligationem nec impedimentum, nisi conditione impletâ, cujus eventum expectare tenentur promittentes, ex c. un. *de Sponsal. in 6.* at hac positâ fiunt abso-

absoluta. 4 Publicè vel clandestinè; nam ad illa jure communi non requiritur præsentia Parochi & testium, ut teste Fagnano declaravit S. Congregatio Cardin. quia Trid. nihil statuit nec immutavit circa Sponsalia, quæ ante illud clandestinè contracta valebant, cum ante illud ipsa Matrimonia clandestina essent valida, ideóque & Sponsalia quæ sunt quid accessorium & præparatio ad Matrimonium. A jure autem veteri non est discedendum, nisi per novum exprimatur, ex l. 32. Cod. de Appellat. Jure tamen particulari multarum Dioceseon præsertim Galliæ & Belgii Sponsalia celebrari debent coram Parocho & testibus. In quibus Diocesesibus, si coram Parocho non fuerint contracta, sunt nihilominus rata & obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honestatis, juxta Rituale Cameracense & Synod. Mechliniensem, cum à Tridentino sint relicta intacta, atque ita relicta in terminis & dispositione juris communis.

*Q. 4. Quos effectus habent Sponsalia?*

*Resp. Tres. I. Est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito; aut si nullum tempus per sponfos vel per consuetudinem constitutum sit, parte unâ opportunè id exigente, nisi altera justam habeat causam differendi: nam omnis contractus onerosus obligat ex justitia, ideóque sub mortali in re gravi. Hinc qui culpabiliter resilit à Sponsalibus, perdit suas arrhas, & tenetur reddere alteri*